



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 5. Ducis Burgundiæ timor de bello sibi inferendo

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

jam tertio ignominiose Genua ejectos vi-Saecul. XV.  
dimus. A.C 1460.

## §. V.

*Ducis Burgundiæ timor de bello sibi  
inferendo.*

Nec tamen funesto hoc casu mutata est rerum facies in Galliarum regno. Burgundus continuis agitabatur curis, veritus, ne a Carolo VII. Rege bello opprimeretur, nec vanus quoque timor erat; potissima enim Regii Senatus pars id ipsum Regi suadebat, quorum tamen consiliis ipse, aliunde pacis studiosissimus Princeps, acquiescere noluit. Nihilominus Burgundiæ Dux missis ad Regem Joanne de Croy & Lannoyo Hollandiæ Præfecto metus sui causas exposuit, declaravitque, se omni jure conqueri, quod adversus eum nonnulli belli consilia foverent, præterea iidem Legati, Ducis sui nomine, Regi significabant, eorum Dominum, ut se Gallorum partibus addictissimum monstraret, ab Anglis defecisse, & per Atrebatensem concordiae tractatum a se firmatum, pacis studio omnem justam licet indignationem ob inhumanam Patris sui cædem repressisse, Regique ad subigendam Normanniam strenue opem & operam tulisse; Nunc vero communi fama innotescere, Regem inito

Sæcul. XV. cum Anglis foedere, in Burgundiæ sta-  
 A. C. 1460. tus invasionem meditari, Gallos quoque  
 Atrebatensem tractatum sæpius violasse,  
 quin tamen hucusque Dux conquestus  
 esset; atque ideo summo animi sui mæ-  
 rore percepisse, Regem contra se indigna-  
 tionem fovere, eoquod Delphinum in suam  
 Brabantia ditionem recepisset, se tamen ei,  
 cum nulla Regis prohibitio obstaret, tan-  
 quam futuro suo Domino ac proximo  
 Regiæ coronæ hæredi asylum denegare,  
 haud potuisse. Tandem Legati gra-  
 tiam Regis pro suo Domino implorarunt,  
 polliciti, Ducem longe addictissimum, ac  
 ad omnia obsequia promptissimum fore.

## §. VI.

*Responsum Regis ad Burgundi  
querelas.*

Rex ad omnes hæc querelas arrogan-  
 tius respondit, suamque cum Duce  
 agendi rationem culpa liberavit, quæ ve-  
 ro illius Legati contra eum proposue-  
 rant, rursus in Ducem rejecit. Hu-  
 jus responsi summa Oratoribus tradita  
 est, præsentem ipso Rege. Aderant quo-  
 que Aurelianensis, & Britannus Duces,  
 Cenomanensis Comes, ceteri Proceres,  
 cunctique consilarii. Altera die Legati  
 supplicem denuo libellum Regi porrigunt,  
 ad duo restrictum capita. Primo exag-  
 gerabant